



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes,  
Soliloquia et Manuale**

**Augustinus, Aurelius**

**Coloniae Agrippinae, 1649**

De miseria hominis & beneficiis Dei, 13

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](#)

meæ , ne sibi risum exhibeant de me inimici tui , qui oderunt te. Exurge , Domine Deus meus, fortis meus; & dissipentur inimici tui, & fugiant qui oderunt te , à facie tua. Sicut fluit cera à facie ignis , sic pereant peccatores à facie tua : & ego abscondar in abscondito faciei tuæ , & gaudeam cum filiis tuis , satius omnibus bonis tuis. Et tu, Domine Deus, pater orphanorum : & tu mater pupillorum tuorum, audi ejulatum filiorum tuorum : & extende alas tuas, ut fugiamus sub eas à facie inimici. Turris fortitudinis Israël , qui non dormitas neque dormis custodiens Israël : quia non dormit neque dormitat hostis, qui impugnat Israël.

## C A P V T X I I I .

*De miseria hominis , & beneficiois Dei.*

I. **O** Lux quam non videt alia lux , lumen quod non videt aliud lumen; Lux quæ obtenebrat omnem lucem , & lumen , quod excæcat omne extraneum lumen ; Lux à qua omnis lux , lumen à quo omne lumen. Lumen ad quod omne lumen est tenebræ , ad quod omnis lux obscuritas ; Lux cui omnes tenebræ lumen , cui omnis obscuritas lux ; Lux suprema quam cæcitas non obnubilat: quam caligo non hebetat , quam tenebræ non obscurant , quam nulla obstantia claudit , quam nunquam separat aliqua umbra ; Lux , quæ illuminas omnia tota simul , semel , & semper : absorbe me in claritatis abyssum , ut videam undique te in te , & me in te , & cuncta sub te. Ne derelin-  
quas

quas me, ne accrescant umbræ ignorantia  
meæ, & multiplicentur delicta mea. Sine te  
enim omnia sunt mihi tenebræ, omnia mala;  
quia nihil bonum sine te vero, solo, & sum-  
mo bono.

2. Hoc confiteor, hoc scio, Domine  
Deus meus, quia ubique sum sine te,  
male est mihi præter te; non solum extra  
me, sed etiam in me: quia omnis copia,  
qua non est Deus meus, mihi est egestas.  
Satiabor tunc cum apparuerit gloria tua. Et  
tu, Domine, vita mea beata, fac ut miseriam  
meam confitear tibi, ex quo ab unitate bo-  
nitatis tuæ, summo & uno bono, tempo-  
ralium rerum multiformitas lapsum me per  
carnales sensus dissipavit, & ab uno in mul-  
ta divisit, & facta est mihi abundantia la-  
boriosa, & egestas copiosa: dum aliud &  
aliud sequebar, & à nullo implebar: dum  
non in me inveniebam te incommutabile &  
singulare indivisum unum bonum: quod  
consecutus, non egeo: quod consecutus,  
non doleo: quod possidens, satiatur totum  
desiderium meum.

3. Heu miseria super miseriam: cum  
misera anima mea à te refugit, cum quo  
semper abundat & gaudet: & sequitur mun-  
dum, cum quo semper eget & dolet. Mundus  
clamat, deficio: tu, Domine clamas, reficio;  
& miseria mea prava magis sequitur defi-  
cientem, quam reficientem. Plane infirmitas  
mea hæc est. Medice spirituum, sana illam;  
ut confitear tibi, salus animæ meæ, toto  
corde meo super omnibus beneficiis tuis,

I 5

quibus

quibus pascis me à juventute mea , & usque  
in senectam & senium. Te deprecor per  
te ipsum, ne derelinquas me : fecisti me, cum  
non essem ; redemisti me , cum perisse:  
perieram mortuus fueram ; ad mortuum de-  
scendisti, mortalitatem suscepisti : ad servum  
Rex descendisti ; ut servum redimeres, te  
ipsum tradidisti. Ut ego viverem, tu mor-  
tem suscepisti , mortem vicisti. Me instau-  
rasti , cum te humiliasti.

4. Perieram , abieram , in peccatis venun-  
datus eram: venisti pro me , ut redimeres  
me : & tantum me dilexisti , ut sanguinem  
tuum in pretium dares pro me : dilexisti me  
Domine plusquam te; quia mori voluisti pro  
me. Tali pacto , tam caro pretio , reduxisti  
me de exilio , redemisti me de servitio ; re-  
traxisti me de supplicio ; vocasti me nomine  
tuo : signasti me sanguine tuo , ut memoria-  
le tuum semper esset apud me , & nunquam  
recederet à corde meo qui pro me non re-  
cessit à cruce. Vnxisti me oleo tuo , quo tu  
unctus fuisti ; ut à te Christo dicerer Chri-  
stianus. En in manibus tuis descripti me ,  
ut semper sit memoria apud te , si tamen me-  
moria tua jugiter fuerit apud me. Sic igitur  
gratia tua semper & misericordia prævene-  
runt me. De multis namque & magnis pe-  
riculis sæpe liberasti me , liberator meus.  
Quando erravi, ad viam reduxisti me : quan-  
do ignoravi , docuisti me : quando peccavi,  
corripuisti me : quando tristis fui , consola-  
tus es me: quando desperavi, confortasti me:  
quando cecidi , erexisti me : quando steti ,  
tenui.

tenuisti me: quando ivi, deduxisti me: quando veni, suscepisti me: quando dormivi, custodisti me: quando clamavi, exaudiisti me.

## C A P V T X I V .

*Quod Deus perpetua inspectione considerat opera & intentiones hominum.*

1. **H**æc enim & multa alia beneficia fecisti mihi, Domine Deus meus, vita animæ meæ, de quibus dulce esset mihi semper loqui, semper cogitare, semper tibi gratias agere: ut possim te semper pro omnibus bonis tuis laudare, & amare te toto corde meo, & tota anima mea, & tota mente mea, & tota fortitudine mea, simul ex omnibus medullis & intimis cordis mei, & omnium compagum mearum. Beata dulcedo, Domine Deus meus, omnium qui delectantur in te. Sed imperfectum meum viderunt oculi tui. Oculi, inquam, tui multo lucidiores sunt Sole, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & in omni loco contemplantur semper bonos & malos.

2. Cum enim cunctis præsideas, singula implens, totus semper ubique præsens, cunctorumque curam agens, quæ creasti: quia nihil odisti eorum, quæ fecisti: sic gressus meos semitasque consideras, & die noctuque super custodiam meam vigilas, omnes semitas meas diligenter notans: Speculator perpetuus, veluti si totius creaturæ tuæ, cæli & terræ obliitus, tantum me solum consideres, & nihil sit tibi curæ de aliis. Neque enim

isque  
r per  
cum  
sem:  
n de-  
rvum  
s, te  
mor-  
istau-  
  
enun-  
neres  
inem  
ti me  
ti pro  
uxisti  
; re-  
mine  
horia-  
quam  
on re-  
uo tu  
Chri-  
i me,  
n me-  
igitur  
vene-  
is pe-  
meus.  
quan-  
ccavi,  
nsola-  
ti me:  
steti,  
tenui-